

Ad rei majorem determinationem imprimis videndum est, quales conditiones a jure pro constitutione parochiae formalis requirantur ac deinde verificare oportet, utrum istae conditiones in parochiis Bosnae et Hercegovinae inveniantur.

Secundum canones et Concilii Tridentini praescripta canonistae quatuor conditiones afferunt ad constitutionem parochiae proprie dictae: 1) ut auctoritate Papae vel episcopi sit erecta; taliter autem erecta praesumitur auctoritate Papae vel episcopi ex lapsu temporis, quo rector ecclesiae publicae divina officia peregit, sacramenta administravit ac reliqua parochialia officia praestitit ac recepit; 2) requiritur certum territorium seu certus locus ac districtus cum certis limitibus ab episcopo determinatis; 3) requiritur ut in illo determinato districtu sint saltem decem municipia, id est decem domus aut familiae; 4) requiritur ut unum solum ac perpetuum rectorem habeat, cum cura animarum et fori poenitentialis ipsi soli competente, ita ut jure ordinario nullus alius praeter ipsum solum hanc curam ac potestatem habeat. Tales conditiones requirunt omnes majoris notae canonistae, uti v. g. Ferraris, Reiffenstuel etc.¹⁶⁶ Eadem has normas etiam dicasteria romana in usum assumpserunt pro regula in dijudicanda qualitate parochiae, utrum an non sit canonice erecta: »Gli estremi che la S. C. del Concilio suole tenere a calcolo, onde ritenere che una parochia sia canonicamente eretta, sono quelli designati dai dotti sulla base dei sacri canoni e de sacrosanto Concilio di Trento, e che possono vedersi presso il Ferraris nella Biblioteca alla parola »Parochia«.¹⁶⁷

Nunc jam concrete in parochias Bosnae et Hercegovinae inquirere licet: sintne vel non verae parochiae formales canonice erectae. Uti supra exposuimus, de natura parochiarum sub episcopis ordinariis, quae auctoritate bullarum Romanorum Pontificum fundatae et erectae erant,

¹⁶⁶ Ferraris L., *Bibliotheca canonica...*, VI, Roma 1890, 74, sub voce »Parochia«, n. 11 ss.; Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*, III, Venetiis 1709, l. III, t. 29, n. 6—8, p. 524.

¹⁶⁷ Littera S. C. Concilii, die 18 Martii 1881, cfr. *Collectanea S. C. de Propaganda fide*, II, Romae 1907, 145 n. 1548.